



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola IV. Innocentii Papae II. Ad VVilhelmvm Hierosolymitanvm  
Patriarcham. In causa Tyriae dioecesis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

## EPISTOLA IV.

## INNOCENTII PAPÆ II.

AD VVILIELMVM HIEROSOLYMITANVM  
PATERIARCHAM.

In causa Tyriæ dicēcesis.

*Innocentius episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri  
Wvilielmo Hierosolymitano patriarchæ salutem  
& apostolicam benedictionem.*

**M**AGISTERIVM totius ecclesiæ & ecclesiasticæ insti-  
tutionis beato Petro apostolorum principi cælesti  
priuilegio esse collatum euangelica declarat auctoritas.  
*Et infra:* Miramur autem , quoniam cum Romana eccle-  
sia pro liberatione orientalis ecclesiæ tantopere laborau-  
erit , & filiorum multorum sanguinem effundendo , corda  
tam ecclesiasticorum quam sæcularium ad eius seruitum  
excitauerit , nequaquam , prout conuenit , eidem matri  
sua hac vice respondere curasti : partim enim tibi visum  
fuerat , quod venerabilem fratrem nostrum Fulcherum  
Tyrensem archiepiscopum , more prædecessorum suorum  
pro susceptione pallii ad Romanam ecclesiam venientem  
disturbare præsumperas , nisi & erga eum a nobis redeun-  
tem te inhumanum difficilemque & nimis asperum ex-  
hiberes : adeo quod nec antiquam dignitatem Tyrensis  
ecclesiæ sibi restituere , nec de damnis sibi illatis , aut etiam  
de Caipha , siue Porphyria , iuxta mandatum nostrum ,  
infra tres menses post acceptionem nostrarum literarum  
ei iustitiam facere volueris : cum vtique satis indignum sit  
vt honor qui sibi , si ei obediret , ab Antiochena exhibe-  
retur ecclesia , a te vel tuis successoribus subtrahatur . Præ-  
terea in subiectos illius nimis potestatiue diceris te habe-  
re . Quocirca auctoritate apostolica mandando tibi præci-  
pimus , sicut eiusdem matris tuae piis optas studiis atque  
solatiis confoueri , sicut in tuis necessitatibus eius patro-  
ciniis desideras adiuuari , iam dictum archiepiscopum di-  
ligas & honores , & in nullo perturbare præsumas : quin  
potius de omnibus , de quibus apud te querimoniam de-  
posuerit , sibi plenam iustitiam infra quadraginta dies post-

quam præsentia scripta susceperis, exhibere non differas, nec aliquid in subditos suos contra statuta Canonum præsumas: alioquin timendum tibi est, ne tam ipsum quam suffraganeos suos a tua obedientia subtrahamus, eosque in manu nostra retineamus. Data Laterani xvi. Kalendas Ianuarii.

## E P I S T O L A V.

## INNOCENTII PAPÆ II.

AD VVILIELMVM HIEROSOLYMITANVM.

Eiusdem argumenti.

*Innocentius episcopus seruus seruorum Dei Vvilielmo Hierosolymitano patriarchæ salutem & apostolicam benedictionem.*

**Q**VANTO munificentiae supernæ benignitas Hierosolymitanam ecclesiam tuis temporibus altius sublimauit, tanto magis expedit personam tuam erga fratres suos humaniorem existere, & eos, qui tibi obedientiam exhibent, caritate mutua honorare. Proinde fraternitati tuæ mandamus, quatenus venerabilem fratrem nostrum Fulcherium Tyrensem archiepiscopum, qui ex mandato sanctæ Romanæ ecclesiæ tibi obedit, fraternali amoris intuitu diligas & honores: solcite prouidens, ne sibi grauamen aliquod inferas; vel sub obtentu huiuscemodi subiectiōnis, quæ vtique ex beneficentia apostolicae sedis tibi & ecclesiæ Hierosolymitanæ impenditur, Tyrensis ecclesia nobilis & famosa sua iustitiae aut dignitatis patiatur aliquod detrimentum. Indignum est enim ut honor qui sibi, si ei obediret, ab Antiochia exhiberetur, a te vel tuis successoribus subtrahatur. Data Albani decimosexto Kalendas Augusti.